

24. *Quæst. 9.* Quibus casibus donatio potest revocari? R. 1. donatio inter vivos tribus de causis revocari potest. 1. ob ingratitude donatarii, qui graves injurias inferat donanti, vel gravi ipsum damno afficiat, *L. ult. cod. de revocat. donat.* Sed ante judicis sententiam nulla est obligatio donationem restituendi; post eam vero etiam fructus perceptos post litis contestationem. Ab hæredibus non potest donatio revocari ob eam causam, si donator eam scivit, & tacuit; potest autem, si ipse ignoravit. Locum vero non habet revocatio in donationibus factis Ecclesiæ ob ingratitude Prælati, vel Clerici; cum Deo præcipue facta sit in bonum animæ testatoris. Secunda causa est ob prolem susceptam post factam donationem *L. 8. cod. de revoc. donat.* quia in facta donatione leges subintelligunt tacitam conditionem: *nisi nascantur mihi liberi.* Unde si donatio facta sit extraneo, ex toto potest revocari; si facta sit alicui ascendentium, ut patri, vel avo, aut causis piis, revocari potest quantum opus est, ut filii legitima fruatur hæreditate. 3. causa est, si donatio fuit *inofficiosa*, id est, contra officium paternæ pietatis in filios; cum isti privantur parte hæreditatis legitima, quæ secundum leges ipsis debetur *l. 1. Cod. de inoff. donat.*

25. R. 2. Donatio facta mortis causa tribus etiam de causis potest revocari. 1. si donatorem pœniteat donationis. 2. si dedit ratione alicujus periculi impendentis, ex quo metui mortem; superato enim periculo, censetur tacite revocata donatio, ut si quis donet instante morte, vel

in gravi prælio. 3. si donatarius moriatur ante donationem, ipso jure revocata est, ut accidit in testamentis, ac legatis. Quod si donator promiserit, se non revocaturum, censetur donatio inter vivos, quæ transit ad hæredes. In dubio autem utrum donatio sit inter vivos, an mortis causa; censenda est inter vivos, & irrevocabilis.

26. Animadvertunt autem DD. 1. donationem mortis causa fieri debere in præsentem ex *l. cit.* Nec valet in absentem sine nuntio ad hoc destinato, vel epistola; licet valeat ut fidei commissum, si fuerint adhibiti testes. 2. donare valide possunt ii, qui possunt testari; filii autem familias quamvis testari nequeant, donare possunt, consentiente Patre; imo sine hujus consensu donare possunt ex bonis castrensibus, & probabiliter etiam de adventitiis: quorum administrationem, & usum habent a Patre concessum. Atque hoc modo valet etiam donatio minoris absque consensu sui Curatoris. Contra vero invalida est donatio usurarii, nisi prius usuris satisfecerit, vel cautionem præstiterit, nisi ad causas pias; nec valide donat qui a natura surdus est simul, & mutus; secus si aut surdus sit tantum, aut mutus, aut utrumque patiat ex casu aliquo superveniente.

CAPUT III.

De Commodato, precario, & deposito.

27. *Quæst. 1.* Quid est commodatum? R. est contractus, quo res aliena quoad solum u-

sum gratis alteri conceditur usque ad definitum tempus; tempus autem definitur vel explicite, vel implicite: explicite, ut si dicas: commodo tibi hunc librum, vel domum ad unum mensem, implicite, ut si dicas: commodo tibi hunc librum, ut eum describas; quia tunc implicite tantum temporis determinatur, quantum necessarium est, ut commode eum describas. Hinc commodator non potest repetere absque iniustitia ante præstitutum tempus; nisi commodanti damnum impendeat; quia, ut ait Navarrus, in commodatione intelligitur hæc conditio: *nisi interea contigerit, rem esse necessariam commodanti*. Notandum est autem cum Viva, in re commodata expensas ordinarias debere fieri a commodatario, ut alere equum, cet. extraordinarias vero a commodante, ex *L. in rebus, de Commod.*

28. *Quest. 2.* Quid est precarium? R. est contractus, quo petenti conceditur res utenda, donec concedens repetat. Differt a commodato, quia in isto tempus definitur, secus in illo. Precarium solvitur morte accipientis, non autem morte dantis, si ab hæredibus non revoceatur: solvitur etiam ipsius rei alienatione. *Cap. ult. de precar.*

29. *Quest. 3.* Quid est depositum, & quænam sunt obligationes illud habentis? R. 1. hic sumitur pro contractu, quo aliquid traditur alteri custodiendum, ut integrum reddatur. R. 2. non licet uti deposito sine facultate domini vel tacita, vel expressa. Porro si res, quæ deponitur, pecunia sit, nisi clavi sit obsignata, vel sigillo munita, creditur, mentem dantis fuisse,

ut ea possit uti depositarius; modo certus sit, sese eam redditurum domino, quandiu petat: idem dico de rebus, quæ usu consumuntur, v. g. vino, oleo, tritico; modo restitui certo possint in eadem qualitate, mensura, numero, cet. Quod si dominus expresse concedat facultatem iis rebus utendi, depositarius utens mala fide re deposita, tenetur restituere valorem usus, at si fide bona utatur, tenetur restituere id, in quo factus est ditios; quando intelliget id domino displicuisse.

30. R. 4. Depositarius tenetur rem sibi creditam ea diligentia custodire, quam solent adhibere homines industrii, & diligentes. Quod si res pereat sine ipsius culpa theologica, multi censent, non obligari ad restitutionem in constientia. Ita Lugo, Salmant. Cabassutius, Roncaglia, & alii. Multi tamen sentiunt, si depositio facta sit in commodum utriusque, vel pretium acceperit pro custodia, teneri etiam de culpa juridica, sive lata sit, sive levis, atque etiam levissima. Quod si solum fiat in commodum deponentis, non teneri nisi de culpa lata, quæ cum dolo comparatur. Hinc sartores, molitores, nautæ, quibus res ex munere suo sunt custodiendæ, majorem diligentiam adhibere debent, quam ii, qui rem gratis custodiunt; adeoque in foro externo dolus in eis præsumitur; nisi probetur rem absque ipsorum culpa periisse.

31. *Quest. 4.* An possit quis rem suam conservare præ aliena deposita, si non possit utramque? R. si res tua sit æqualis, vel ma-

joris pretii, sive deposita sive commodata, aut locata, potes rem tuam servare, licet pereat aliena v. g. incendio, vel naufragio; æquitas enim postulat, ut commodum tuum in pari discrimine præferas alieno. At si res aliena sit pretiosior, teneris eam præferre; poteris tamen petere compensationem, si contractus est nitus in commodum alterius; secus vero si in tui commodum. Nihil tamen licet accipere pro custodia depositi, nisi deponens ipse promiserit; tunc autem transit contractus in locationem. Porro si domino rem suam reddas per alium hominem fidelem, & ille retineat, vel amittat; non teneris ad restitutionem, ad quam solum obligaris ex dolo, vel culpa.

32. *Quæst. 5.* Quibus ex causis possit depositum Domino negari? R. quatuor, videlicet 1. si per sententiam alicui sint adicta omnia ipsius bona. 2. si comprehendas, rem esse furto sublatam. 3. si depositarius certam habeat causam justæ compensationis. 4. si prudenter timeat, dominum re deposita abusurum sive contra justitiam, sive contra caritatem. Imo tunc ipse reus esset peccati, si redderet; nisi retinendo, certum, & grave sibi timeret incommodum.

CAPUT IV.

De mutuo, & usura.

33. *Quæst. 1.* Quid est mutuum, & quomodo ab alijs contractibus distinguitur? Est contractus, quo res numero, pondere, vel men-

sura constans ita traditur alteri, ut in eum dominium transferatur cum obligatione post lapsum temporis restituendi eandem, vel similem specie, & bonitate, ex lege. 2. ff. de reb. cred. Hinc materia mutui sunt pecunia, vinum, oleum, & similia, quorum unum potest fungi vice alterius, & substitui pro alio. Distinguitur autem mutuum a permutatione, quod in ea reddatur res alterius speciei, v. g. frumentum pro vino; item a pignore, hypotheca, deposito, & commodato; quod in iis non transfertur dominium, sed usus tantum.

34. *Quæst. 2.* Quænam sunt obligationes mutuantis, & mutuatarii? R. 1. mutuator tenetur monere de vitio rei, alioquin obligatur ad compensationem damni. Item non repetere rem statim, alioquin mutuum esset inutile ei, in cuius gratiam fit; nec ante præfixum tempus, nisi ipse sit in pari necessitate. Quod si tempus non sit præstitutum, debet reddi post aliquod tempus secundum iudicium prudentum. Mutuans vero, rem non exigens, censetur indulgere dilationi, nisi aliunde prudenter credatur, ab eo non repeti ob timorem, oblivionem, vel reverentiam. Non potest autem mutuans plus exigere, quam valeat res mutuata; alioquin esset usura, de qua mox dicendum. Si mutuatarius culpa sua differat reddere ultra præfixum tempus, debet mutuanti compensare damnum inde emergens, & lucrum cessans, cum sit utriusque causa. Quod si fortuito res pereat, ei perit; cum penes eum sit rei dominium; nec ideo liberatur ab obligatione resti-

tuendi rem eandem specie, & qualitate.

35. Excipiuntur ab hac reddendi obligatione filii familias, qui sine consensu Patris rem mutuum acceperunt, nisi res integra adhuc extet *l. 1. c. de S. C. Maced.* Quæ lex secundum probabiliorum opinionem non solum excusat in foro externo, sed etiam in conscientia, quamvis alii id negent. Idem dicitur de mutuo dato minori sine consensu Curatoris, ex *leg. 3. c. quando facti.*

36. *Quæst. 3.* Quid sit usura, & quotuplex? R. est lucrum rei pretio, seu pecunia æstimabilis, ex mutuo immediate proveniens. Hinc omne pactum, seu onus, quod mutuacione intendatur præter sortem, vel summam capitalem, reddit contractum usurarium. Duplex autem usura esse potest, mentalis nimirum, & externa, seu realis. Dicitur usura mentalis, cum quis intendit accipere aliquid ex mutuo ultra sortem, etsi exterius pacto id non exprimat. Licet enim contractus sit quid externum; at lucrum, quod intenditur in eo mutui contractu, in mente remanet, nec ulla pactione declaratur. Contra dicitur usura externa, & realis, dum quis intentionem illam pacto exprimit. Quando aliquando tantum implicite fit sub alio contractu, v. g. emptionis, aut venditionis, & tunc dicitur usura occulta, seu *palliata*; quia id, quod usurarium intervenit, obtegitur sub velo, seu pallio honesti contractus.

37. *Quæst. 4.* Quo jure prohibita est usura? R. jure naturali, divino, & ecclesiastico. Quod attinet ad jus naturale; recta ratio dictat, in

quolibet contractu æqualitatem esse servandam, adeoque non licere, plus exigere, quam valeat res, quæ datur. Jam vero exigere, vel accipere ratione mutui aliquid supra sortem, seu rem mutuo datam, est plus accipere, quam sors valeat, seu res mutuo data, ut patet: ergo est contra justitiam commutativam. Unde ipsi Ethnici solo naturæ lumine norunt usuræ malitiam, ut Plato *l. 1. de leg. Arist. lib. 1. Polit. c. 7.* Cato, Seneca, cet. De jure autem Divino positivo dubium esse non potest, cum *Ezech. 18.* inter gravissime peccantes annumeret Prophetam *ad usuram dantem, & amplius accipientem.* Et psal. 14. dicatur: *quis habitabit in tabernaculo tuo? ... qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* In novo autem Test præcipitur *Lucæ. 7. mutuam date, nihil inde sperantes.* Et licet illa verba: *mutuum date*, interdum sint consilium; sed lucrum ex mutuo non quærere, semper est præceptum, ut notat S. Th. 2. 2. q. 78. a. 1. De jure autem Eccles. constat ex definitionibus Pontificum, & CC. præsertim *Leter. III. Vienn. gen. & Trid. & ex toto titulo de usuris, & ex pœnis ab Ecclesia contra usurarios statutis.* Quibus addo unanimem PP. consentionem: consule *Bened. XIV. in ep. Encyclica, quæ incipit. Vix pervenit,* & in ipsius egregio opere de Syn. Dioces. Nec obstat illud *Deut. 3. non fœneraberis fratri tuo ad usuram, sed alieno.* Ibi enim non conceditur Judæis usura proprie dicta; sed a Deo ut supremo rerum Domino traditur illis occasione mutui dominium bonorum alienarum gen-

tium; sicut eis tradita sunt bona Egyptiorum.
 38. Hic autem notandæ sunt tres propositiones, ab Ecclesia damnatæ. 1. ordine 41. ab Innoc. XI. *com numerata pecunia pretiosior fit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam presentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuario accipere, & eo titulo ab usura excusari.* 2. n. 42. *Usuram non est dum aliquid ultra sortem exigitur, tanquam benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex iustitia debitum.* 3. ab Alex. VII. *licitum est mutuanti, aliquid ultra sortem exigere, si se obligat ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

39. *Quæst. 5. An liceat aliquid ultra sortem exigere pro obligatione, qua mutuans sese adstringit non repetendi mutuum, nisi post multum tempus? Nagant Lesius, Layman, Lugo, & alii communiter, quia mutuo, cuilibet inest obligatio expectandi pro aliquo tempore: ergo sicut pro isto nihil potest exigi ex damnata prop. Alex. VII. ita nec pro obligatione diutius expectandi, ne detur locus palliativæ usuris. Alii tamen putant, posse licite exigi aliquid supra sortem pro obligatione non repetendi nisi post multum tempus, v. g. triennium; hæc enim obligatio diuturna non est intrinseca mutuo, nec contineri videtur in doctrina damnata. Nam si licet aliquid accipere ultra sortem ei, qui se obligat mutuari post multum tempus; cur non liceat ei, qui se obligat non repetere post illud? Imo videtur mo-*

raliter impossibile, quod per multum tempus expectando mutuans non patiatur aliquod periculum, vel incommodum: saltem se privat facultate utendi re mutuata ad liberalitatem, vel ad alios usus honestos. Itaque etiamsi ratione dilationis temporis non liceret, aliquid ultra sortem pacisci, id licebit ratione periculi, vel incommodi. Ita Salmant. "Sed horum doctrina rejicienda est in praxi, ne detur ansa usurariis injuste lucrandi."

40. *Quæst. 6. Quando ex usura mentali oritur obligatio restituendi? R. 1. quando usura mentalis est ex parte utriusque, ita ut mutuans accipiat lucrum, tanquam pretium mutui, & mutuarius ut tale etiam solvat; certe lucrum restituendum est. 2. Quando usura mentalis est solum ex parte mutuarii, qui dat lucrum ut pretium, & mutuans accipit bona fide ut gratis datum; hic non tenetur restituere, nisi cum noverit, illum non gratis præstitisse. 3. quando usura se habet tantum ex parte mutantis, eo quod mutuarius gratis omnino dederit, mutuans autem receperit ut pretium; tunc si noverit, ab illo liberaliter donatum, potest retinere. Si vero dubium sit, an mutuarius deberit gratis, vel non; qui mala fide, vel cum dubio accepit, non potest retinere. Quod si fide bona recepit, & postea dubitatio superveniat, videndum est, pro quo stet præsumptio. Nam si mutuarius asserat, gratis a se donatum, nec ulla fraus timeatur; ipsi adhibenda est fides. Item credendum est gratis datum ab eo, si non sit pauper, vel a-*

varus, vel non dederit impulsus ex metu, molestia, vel petitione mutuantis. Ita Salmant. ex S. Anton., & aliis.

41. *Quæst. 7.* An liceat mutuare sub spe lucri, sine ullo tamen illius pacto? R. neg. si spes lucri sit finis amutante principaliter intentus. Constat 1. ex Lucæ. c. 7. *mutuum date, nihil inde sperantes.* Et ex S. Aug. Serm. 3. in psal. 36. *Si plus quam accepisti, expectas accipere, fœnerator es.* Hinc c. 10. *de usuris* censetur usurarius, qui eo animo mutuatur, ut aliquid supra sortem recipiat, alias non mutuaturus; etsi nulla pactio intercedat; tunc enim vere lucrum intenditur in mutuo, posita benevolentia, & gratitudine mutuatarii. Hinc præclare dictum a S. Raymundo Tract. de usuris §. 3. *qui sub tali spe mutuavit, quicquid postea (etiam gratis oblatum) ultra sortem acceperit, usura est.* Non est tamen usura, mutuum dare ad captandam alterius benevolentiam, etiamsi hæc præcipue in mutuo intendatur; quia beneficium gratuitum ex se pertinet ad conciliandam mutuam benevolentiam. Nec usura est, si secundo speretur aliquod lucrum; modo istud non sit præcipua causa mutuandi, nec pactum ullum intersit. Ita ex D. Th. 1. 2. q. 78. ar. 2. ubi ait: *Si accipiat aliquid, non quasi exigens, nec quasi ex aliqua obligatione tacita, vel expressa, sed sicut gratuitum donum, non peccat. Recompensationem vero eorum, quæ pecunia non mensurantur, licet pro mutuo exigere, puta benevolentiam, & amorem ejus, qui mutuavit, vel aliquid ejusmodi. Ex quo loco, & aliis Caje-*

tanus, Navarrus, Soto, & alii deducunt, non esse usuram mutuare cum spe lucri, tanquam motivo principali modo nullum sit pactum vel tacitum, vel expressum; sed melius interpretantur alii D. Th. de spe lucri, quæ non sit principalis causa mutuandi.

42. *Quæst. 8.* An mutuans possit retinere, quod mutuatarium dedit, non ex mera gratitudine, sed ex timore, ne alia mutuatio ei negetur in posterum, aut ne æstimetur ingratus? Negant Molina, Navarus, & Viva, eo quod talis donatio non possit præsumi gratuita, & spontanea; sed affirmant Layman, Lugo, & Salmant. nam ex D. Th. requiritur ad usuram, quod detur ex vi pacti, sive ut debitum ex justitia; timor autem prædictus non efficit, ut res detur tanquam pretium; nec tollit simpliciter voluntarium, & gratuitum, cum solum oriatur ab intrinseca necessitate, vel voluntate mutuatariorum.

Nota, damnatam esse ab Innoc. XI. prop. 42. dicentem: *usura non est, dum aliquid supra sortem exigitur, ex benevolentia, & gratitudine debitorum, sed solum si exigatur tanquam debitum ex justitia.* Nam nemo tenetur ex bonis suis reprendre id, quod ex gratitudine debet, cum possit aliis viis satisfacere; adeoque illa obligatio esset pretio æstimabilis, & contra naturam doni gratuiti. Itaque usura est, in pactum deducere obligationem antidoralem, seu gratitudinis; cum id, quod in pactum deducitur, jam dicatur ex jure debitum. Est quoque illicitum pactum de obtinendo a mutuatariorum officio aliquo, sive Civili,

sive Ecclesiastico, uti & de Beneficio Ecclesiastico.

CAPUT V.

De Titulis ab usura mutuuum excusantibus.

43. Licet nullum ex mutuo lucrum exigi possit, ratione *præcise mutui*; sunt tamen aliqui tituli mutuo extrinseci, propter quos mutuans potest absque usuræ nota aliquid petere supra sortem. Hi sunt præcipue duo, scilicet damnum emergens, & lucrum cessans. Primum est, cum quis ex eo quod alteri mutuæ coacturam patitur in bonis suis; ut si pecuniam ædium refecioni destinatam, aut solutioni debitorum mutuam des cum tuo detrimento. Tunc licet in mutuo auctarium exigere; cum nemo teneatur cum damno proprio beneficium alteri præstare, nisi in extrema, vel valde gravi necessitate. Alter titulus est lucrum cessans, cum nempe mutuans privatur lucro justo; quod ea pecunia certo, vel saltem probabiliter facturus fuisset. His possitis sit— non statim metuo.

44. *Quæst. 1.* Quænam requiruntur conditiones, ut in mutuo possit aliquid exigi supra sortem ratione damni emergentis? R. quatuor, scilicet 1. ut ab initio auctarium in pactum deducatur; nam post contractum initum nihil petere mutuans potest, etsi de suo damno fuerit immemor, nisi vi, metu, vel fraude coactus fuerit, ut ait S. Th. 2. ut mutuum revera sit causa damni, ex mutuo emergentis; alioquin deesset justus titulus exigendi aliquid supra sortem. 3. ut non plus exigatur, quam sit damnum, quod

timetur ex mutuo; imo vero aliquid etiam deducatur arbitrio prudentum, si damnum non sit omnino certum. 4. ut præmoneatur mutuarius de vero damno, vel alio titulo justo exigendi quidpiam ultra sortem; nam forte si sciret, in illum contractum non consentiret. Quod si nesciens consentiat, putans contractum usurarium; evenire potest, ut esperet, postea non solvere usuras, vel illas sibi compensare. His conditionibus addunt aliqui, ut damni compensatio non fiat statim, sed pro eo tempore, quo damnum timetur eventurum.

45. *Quæst. 2.* Quænam sunt necessariæ conditiones, ut liceat exigi aliquid supra sortem ratione lucri cessantis? R. 1. est, ut mutuum sit vera causa, cur lucrum cesset; nam si pecunia, quam mutuam dedisti, non erat destinata negotiationi, vel alii quæstui honesto, aut habes alias pecunias otiosas, quibus potes pariter negotiari, aliunde cum illis non negotiaturus, ita ut ex ea pecunia, quam mutuas, nullum lucrum fecisses; revera non extat titulus lucri cessantis, adeoque quod exigitur, ratione præcise mutui exigitur. 2. conditio est, ut lucrum ex mutuata pecunia cessans sit certum, vel saltem probabile. 3. ut moneatur mutuarius, & de lucri compensatione consentiat. 4. ut non exigatur totum lucrum, sed solum quantum spes illius valet iudicio prudentum, deductis expensis, & laboribus. Denique ut lucrum non exigatur statim, sed solum pro tempore, quo lucrum fuisset. Addunt aliqui, ut mutatio fiat animo beneficium gratuum præstandi proximo; nam si fiat spe commo-